UNIVERSITY OF ILLINOIS
AT URBANA-CHAMPAIGN
URBANA, IL 61801

AS PART OF THE
DITTENBERGER-VAHLEN
IC 6 PRESERVATION GRAN
PROJECT
Funded by the
National Endowment for the
Humanities

copyright law of the United States (Title 17, Unite
es Code) governs the making of the photocopies
r reproductions of copyrighted material including
gn works under certain conditions. In addition, t
ed States extends protection to foreign works by
ns of various international conventions, bilateral
ements, and proclamations.

er certain conditions specified in the law, librarie
archives are authorized to furnish a photocopy o
r reproduction. One of these specified condition
the photocopy or reproduction is not to be "usec
ny purpose other than private study, scholarship
arch." If a user makes a request for purposes in
ss of "fair use," that use may be liable for copyri
ngement.

institution reserves the right to refuse to accept a
order if, in its judgment, fulfillment of the order
ld involve violation of the copyright law.

ITLE: De adjectivorum
otione anomala : diss. IV

LACE: Regiomonti

Storage Number : 60-0231.10

ck, Chr. August 1781-1860. (Christian August)
De adjectivorum motione anomala : diss. IV / [C.A. Lobec
nonti : Typis Academicis Hartungianis, 1831.
; 20 cm.

reek language -- Grammar. I. Title.

uage: Latin.
(s): Includes bibliographical references.
Dissertation: Pr.

nc

Technical Microfilm Data

Microfilmed by
Preservation Resources
Bethlehem, PA

On behalf of
The Classics Library
University of Illinois at Urbana-Champaign

PRECISION℠ RESOLUTION TARGETS

A5

100 mm

1.0 mm
ABCDEFGHIJKLMNOPQRSTUVWXYZ
abcdefghijklmnopqrstuvwxyz1234567890

1.5 mm
ABCDEFGHIJKLMNOPQRSTUVWXYZ
abcdefghijklmnopqrstuvwxyz1234567890

2.0 mm
ABCDEFGHIJKLMNOPQRSTUVWXYZ
abcdefghijklmnopqrstuvwxyz
1234567890

2.5 mm
ABCDEFGHIJKLMNOPQRSTUVWXYZ
abcdefghijklmnopqrstuvwxyz
1234567890

Natalitia
Principis generosissimi
Friderici Guilielmi III.
a. d. III. Augusti MDCCCXXXI
pie celebranda
indicunt
Academiae Albertinae
Prorector, Cancellarius, Director et Senatus.

Inest de adjectivorum motione anomala Diss. IV.

Sub finem indicantur quaestiones academicae et quae nuper praemio ornatae et quae ad praemium promerendum nunc propositae sunt.



Regiomonti,
typis academicis Hartungianis.

In superioris commentationis parte postrema commemoravi adjectiva, quorum nominativus propter literarum finalium concursum absonum aut vix aut nullo modo fingi potest. Sequitur tertium genus casuum obliquorum, quos non minus certum est nominativo caruisse, sed diversam ob causam, velut *ἐρυσάρματος, πυρσοκέρατα* (Phryn. 658.) quorum prima positio *ἄῤῥητος* est, non quia ab auribus abhorret sed ob terminationem nominum neutralium fingendis adjectivis inhabilem; unde sequitur mutatio: *εὐάρματος, δικέρατος, βραχύωτος*, etc. quo facto nonnunquam casus obliqui ad nominis simplicis similitudinem relabuntur. Praeter haec vero in numero metaplastorum, quae artis grammaticae antistites referunt, multa quidem reperiuntur, quorum primarium casum nunquam in usu fuisse summe credibile videatur, nullum autem, de quo ut ita statuatur grammaticis rationibus evinci possit, nisi quid ejusmodi de accusativo *ἰῶκα* suspicari libet. Sunt enim perrara nomina verbalia in *ξ* et *ψ* actionem significantia: *ἅρπαξ, ὄκλαξ, πνίξ, ἀΐξ*, cujus nominativus extat compositus *καταΐξ* et casus plurales v. Schol. Ven. O. 709. *λίψ* i. q. *λεῖψις* sive *ἧττα* Etym. M. et *ὄψ*, quod Aristoteles et Strabo ex *ὄψις* decurtatum putarunt v. Sturz. ad Empedocl. p. 622. sed *χέρνιψ, φρίξ* et *ἄμυξ* nihil obstat quominus rem potius quam actionem significare dicamus. Grammatici vero, qui *ἰῶκα* pro *ἰωκήν* ut *κρόκα* pro *κροκην* dici affirmant Schol. Ven. *Λ*. 601. nullam metaplasis rationem adjiciunt.

Ab his igitur certis exploratisque nominum acephalorum exemplis sejungi oportet vocabula, quorum nominativus qui in communi usu versatur, non convenit casibus obliquis, qui autem convenit, non reperitur apud auctores, sed sciri non potest utrum

casu an consilio omissus sit. Huc pertinent genitivi *λάου*, *κίνδυνος*, dativi *ὑσμῖνι*, *Δωδῶνι*, accusativi *ἴκτινα*, *ἀλίτροχα*, quae tamen non eodem omnia loco habenda sunt. Nam cur *ὑσμῖνι* inter metaplasta recenseatur, nihil aliud videtur afferri posse nisi quod *ὑσμίν* non invenitur usquam. *Ἴκτινα* autem ex *ἴκτινον* [1]) transformatum esse concedi oportet Grammaticis, si verum est quod ab Etym. M. s. h. v. traditur, apud Aristophanem et Platonem hoc nomen non properispomenon esse sed proparoxytonon; nam quum simplicia in *ιν* exeuntia oxytona sint, ut *ἀκτίν*, *δελφίν*, *ἑρμίν*, *πηρίν*, *ῥηγμίν*, *σταμίν*, *Σαλαμίν*, *Τελχίν*, *Τραχίν* [2]) apparet *ἴκτινα* ab *ἰκτίν* duci non posse; persaepe tamen *ἰκτῖνα* et *ἰκτῖνες* scribitur, et si apud Hesychium *Ἰκτός*, *ἰκτῖνος*, *Περγαῖοι·* recte corrigitur *ἰκτίς*, metaplasmus tollitur. *Ὁ κίνδυν* autem tantum abest ut repudient, ut ex ejus secundo casu nominativum ordinarium *ὁ κίνδυνος* reflexum dicant. Choeroboscus Anecd. p. 1389. b. *κίνδυν*, *κίνδυνος· οὕτω ἔφη Σαπφώ* [3]) *τὸν κίνδυνον· ὁ γοῦν Ἀλκαῖος τὴν δοτικὴν ἔφη τῷ κινδύνῳ* (scr. *κίνδυνι*) *αὕτη δὲ ἡ γενικὴ μετάγεται εἰς εὐθεῖαν.* Similiter genitivum *λάου* non a protoclito *λάας*, sed a *λᾶος* repetunt, hunc autem nominativum *ἀπὸ γενικῆς τῆς λᾶος μεταποιηθῆναι* volunt Herodian. ap. Schol. Soph. Oed. l. 195. Arcad. p. 195. eademque via ex accusativo *Δήμητρα* novum ex-

---

1) *Ἰκτῖνος* Paus. V. 14. 1. et eodem loco *ἰκτῖνες· Ἴκτινοι*, *ἰκτῖνοι* et *ἰκτῖνες* affertur in Sophoclis Fragm. Amyc. N. 113. *Ἰκτῖνος*, sive proprium sit sive appellativum, scribi jubet Herodianus Eustath. 1815. 12. et sic vulgatum *ἴκτινος* corrigit Dindorfius Athen. VIII. 353. proparoxytonum est ap. Dracon. p. 53. 8. et alios.

2) Apud Herodianum p. 10. male *τριχίν* scribitur pro *Τραχίν* et apud Stephanum *Τράχις* pro *Τραχίν*.

3) Fragm. CXV. 94. Sappho non nominativo *κίνδυν* usa est, ut Neuius putat, sed genitivo *κίνδυνος*. Alcaei testimonium addendum est collectioni Matthiae.

titisse nominativum [4]). Ac si quis meminerit Graecos recentiores ad hoc exemplum ἡ κρέκα [5]) ἡ γλαύκα [6]) ἡ λαμπάδα, ἡ ἑβδομάδα [7]) dixisse atque latina nomina ex graecis accusativis orta respexerit, *placenta* πλακοῦντα [8]) *taeda* [9]) δᾷδα, *crepida* (mutata mensura) κρηπῖδα, *aurora* αὔόα sive potius αὔοα, *vena* ἶνα, *pubeda* βούπαιδα, *orca* ὄρυγα, *vespa* σφῆκα, *spelunca* σπήλυγγα, *vesica* φύσιγγα, *palanga* φάλαγγα, *formica* φόρμιγγα [10]) *thomica* sive *tomica* θώμιγγα, ac similiter alia *chlamyda*, *delphica*, *panthera*, *fera*, *statera*, *cratera*, *lorica*, *Crotona*, *Ancona* v. Vales. ad Ammian. L. XXVIII. 1. 37. Burmann. ad Anth. Lat. L. III. Ep. 210. Bentlej. ad Hor. Sat. I. 1. 100. et allegatum ab utroque Munckerum [11]) haec igitur si quis comprehenderit omnia, dubitabit fortasse de uno et altero, sed in universum facile concedet fieri posse ut accusativi terminatio

---

4) Exempla hujus nominativi collegerunt Dobraeus ad Plut. p. 61. ed. Dind. Siebelis ad Pausan. I. 37, 2. Schaefer. Apparat. Dem. T. I. 308. Bernhardy ad Dionys. p. 546.

5) Eustath. p. 1528. 18. τὴν κρέκαν μετὰ τοῦ ν καὶ χωρὶς τοῦ ν. quod nolim cum accusativis ἄνδραν, χεῖραν, νύκταν, ἀκρίδαν, ἐλπίδαν, componi v. Reisk. ad Constant. Porph. p. 79. Sturz. Dial. Alex. p. 127. Boeckh. Corp. Inscr. T. I. p. 886.

6) Schol. Lips. ad Il. I. 195. (p. 20, 19.)

7) Plura exempla unus praebet Michael Ephesius in V. Nicom. p. 64. b. τὴν δεκάδην, τὴν πεντάδην, τὴν εἰκοσάδην p. 67. a. τῇ ἑξάδῃ etc.

8) Similiter *Solentini* vocantur ab urbe Σολοῦς, *Soluntum*, ut *Hydruntum*, *Sipuntum*, *Agrigentum* v. Niebuhr. Hist. Rom. T. I. p. 50. ed. II.

9) Notabile exemplum jota subscripti, quod remansit in graeco ἔνδαιδες Aesch. Eum. 1030, a Latinis pronunciati; nisi quis δαῖδα scribere malit ut δέπαι (sic codex Athen. XI. 482. E.) γῆραι. Epsilon pro jota apparet in Λεσχρώνδας et aliis v. Boeckh. Corp. Inscr. p. 722. b. 778. b. Plane evanuit graeca vocalis in *Crapula*.

10) Hesychius: Φόρμιγγα, μύρμηκα, Βόρμαξ, μύρμηξ, Ὄρμικας, μύρμηξ. *Vermes*, ἕρπης nomen est morbi, quem medici *formicam* vocant.

11) Aliter dicitur *Civitas Vercellis*, *metropolis Susis*, et hinc simpliciter *Curibus*, *Trallibus*, μονοπτώτως. v. Wesseling. ad Itiner. p. 4.

corruptela vulgaris sermonis in nominativum versa sit. Sed genitivi anadrome vereor ne ficta sit magis *διδασκαλικῶς* a Grammaticis, ad declarandam casuum similitudinem, quam veritate fundata. Etenim illa heteroclisia, quae primum casum secundae declinationis similem reddit genitivo tertiae, frequentissime accidit vocabulis in duplicem exeuntibus, *ὁ φύλακος, ὁ ἱέρακος, ὁ τρίβακος, ὁ κήρυκος, ὁ ἀνθέρικος,* quae Grammatici nominatim inter anadromae exempla referunt, ac praeterea *ἄμβικος, ἄμβιξ, ambiga, βλακός, βλάξ, δόρκος, δόρξ, θύλακος, θύλαξ* v. Ruhnken. ad Longin. p. 469. *κρόκος, κρόξ* (Hesych.) *πάνδοκος* s. *πανδόκος, πάνδοξ, πάνακες, πάναξ, ὕσσακος, ὕσσαξ, ἔλλοπος, ἔλλοψ, πώλυπος, πῶλυψ* (Bernhardy ad Dion. 915.) *γρυβός* (Hesych.) *γρύψ, πρόςφυγος* (Hesych.) *πρόςφυξ, ἴλιγγος, ἴλιγξ* [12]) *βόστρυχος* [13]), *βόστρυξ,* quae si quis cum latinis *scobis, scrobis, trabes* (*τράπηξ*) *ancipes, praecipes, sepes, merces, faces, abacus, Aethiopus, Arabus* etc. contulerit, huc potius concedet ut vocalem modo insertam, modo extritam, modo etiam uni eidemque vocabulo plures exitus redditos esse statuat.

---

12) Hesychius: *Ιλιγγίφθογγοι, ἡδύφωνοι.* scrib. *λιγύφθογγοι.* Exemplis in Aglaopham. p. 1094. allatis adde Dion. Chr. XII. 380. *ἀφικόμην εἰς ἄνδρας ου νωθροὺς οὐδὲ σχολὴν ἄγοντας ἀλλ' ὑμετέρους καὶ ἀγωνιῶντας,* ubi pro *ἀλλ' ὑμετέρους* legendum *ἀλλὰ μετεώρους.* (Ibid. IV. 164. *ἀπὸ τοῦ τύφου ἀνανεῦσαι* scrib. *ἀνανῆψαι.* XXXI. 643. *οὐδὲ γὰρ ἀφήσετε ἄνδρα μοχθηρὸν τοῦ χρόνου χάριν ὃν διῆλθε πονηρὸς ὢν* scrib. *διέλαθε.* XXXIII. 2. *τὸ ἀπιστεῖν ἀνδρὶ σοφῷ φαῦλον ἡγεῖσθε καὶ ἄκυρον* scrib. *ἄκαιρον.* XXXV. 73. *τοῦτο ἄτιμόν ἐστιν Ινδῶν τὸ γένος οἵ τε ἄλλοι ψέγουσιν αὐτούς* scrib. *φεύγουσι.*) Artemid. I. 38. pro *εἰ ἔτι μελήσειε τὴν κεφαλήν* non *ἐπιμελήσειε τῆς κεφ.* sed *τημελήσειε* emendandum erat. Antipat. Epigr. Anth. Pal. VII. n. 30. *ἵμερα — κισσοῦ ὥδωδε λίθος* praestat *ἤρεμα* (In Simonid. Ep. Append. N. 73. de Corinthiis hetaeris *ἔσταθεν εὔχεσθαι Κύπριδι δαιμονίᾳ* surrepsit pro *δαμοσίᾳ.*)

13) Minimam horum partem attulerunt viri docti a Matthiaeo laudati Gramm. §. 89. p. 193.

Etenim eadem libertate qua a *καλαύροψ* propagatum est *καλαύροπον* (Hesych.) et praeter *Καππάδοξ* extitit *Καππάδοκος* et *Καππαδόκης* v. Jacobs. ad Anthol. Pal. p. 415. ab eadem stirpe, unde verbum *φυλάσσω* ortum habet, nomina varia *φύλαξ*, *φύλακος*, *φυλακή* propagantur. Quorum postremum ideo commemoro, quia Grammatici femininis quoque anadromen adhibent, *ἁρπάγη*, *καλύκη*, *περάτη* a genitivis singularis numeri (*ἀπὸ γενικῶν τῶν ἑνικῶν* scribendum pro *ἀρσενικῶν*) *ἅρπαγος*, *κάλυκος*, *πέρατος* reflexa dicentes Etym. M. 87, 35. Stephanus s. *Ερμιών*. Postremo anadromen et metaplasin in unum conjungunt, quum a genitivo *ἀρνός* nominativum iisdem literis et ab hoc accusativum *ἀρνόν* et hinc *ἄρνα* circumducunt Choerobosc. ap. Etym. M. p. 146. 31. Sed his omissis, quae ad cognitionem veteris disciplinae plus quam ad intelligentiam veri conferunt, veniam ad ultimum superiorum exemplorum *Δωδῶνι* et *Δωδῶνα*. Horum nominativum extare negant Stephanus s. h. v. Joannes Alex. de Ton. p. 11. et Arcadius p. 1228. Ac fieri potest ut Graeci poetae, assueti vocabulis in *ῑνι*, *ῡνι*, *ωνι* exeuntibus, metro invitante sicut *ἴκτινι*, *κίνδυνι*, ita *Δωδῶνι* dixerint. Caeterum nominativus *Δωδών* neque vitiose formatus, nec, quia *Δωδώνη* praevaluit, idcirco exterminandus est; nam pari abundantia *Ιτώνη* et *Ιτών* dicitur v. Tzschuck. ad Strab. L. IX. p. 614. *Ερμιόνη* et *Ερμιών* Id. ad L. VIII. 297. *Γόρτυνα* et *Γόρτυν* v. Siebel. ad Paus. T. II. 198. et, quod idem nomen esse videtur, *Γυρτώνη* et *Γύρτων* Steph. tum, quae idem memorat, ex altera declinatione: *Γέργιθος* et *Γέργις* (*ἡ Γέργιθα* Athen. VI. 256. C.) *Ιβηρος*, *Ιβηρ*, v. Bast. Ep. Crit. p. 121. *Ηδωνοι*, *Ηδωνες* v. Poppo ad Thucyd. T. I. p. 100. His subjungam quae simillima sunt ex appellativorum genere, primum *μέρμις* et *μέρμιθος*, quorum nominativorum alterum ab usu remotum fuisse nemo affirmavit; *τὸν ὄρκυνον* Atticos dicere tradit Athen. VII. 303. B. et *ὄρκυνος*, *orcynus*, legitur apud Oppianum, Aelianum, Athenaeum VIII. 357. A. (cod. *ὄρχυνος*) et Plinium; *τὸν ὄρκυν* Archestratus VII. 301. F. *οἱ ὄρκυνες* (sic correctum pro

ὀρκύνες) Aristot. H. A. V. 9. et Anaxandrides Ath. VIII, 357. A. cujus formae nominativus singularis non extat. *Ὁ ἄστηνος* et *οἱ ἀστῆνες* Hesychius affert; idem *ὁ τίβηνος,* pro quo apud Lycophronem legitur *τὸν τιβῆνα.* Etymolog. M. 493. 43. *καρβᾶνες οἱ βάρβαροι· Λυκόφρων κάρβανον ὄχλον·* utraque forma usus est Aeschylus, si vitio caret vulgata lectio Suppl. 117. *καρβάνα (καρβᾶνα) δ' αὐδὰν εὐακοεῖς·* ubi quod Wellauerus proponit *καρβάνα δ' αὐδά* non magis probari posse videtur quam *βαρβάρα*; nominativum *καρβάν* proferunt Arcad. de Acc. p. 8. Anecd. p. 1198. etc. sed nullus veterum, quos hodie legimus, usus est. Postremo Aetoli *γερόντοις* pro *γεροῦσι* v. Koen. ad Greg. p. 592, Aeoles *ἄγωνος* pro *ἀγών, ἄγωνον* pro *ἀγῶνα* dixisse perhibentur v. Alcaei Fragm. CIII. p. 65. cujus nominis si solus superesset accusativus aeolicus, a Grammaticis haud dubie metaplastis adnumeraretur. Patet igitur plurimum interesse utrum nominativus teste careat an analogia. Denique *σουν ἥγυς* pro *σὺν αἰξί* legimus in Inscript. Boeotica N. 1569. a. III. v. 39. Rarius vocabula primae declinationis ad tertiam deflectuntur ut *ὠλήν, ὠλένος,* quod Suidas refert pro *ὠλένη, γεῶρες* apud eundem, nisi librariorum error est, pro *γεῶραι* sive *γειῶραι,* quod infra legitur; *χελῶνα* accusativus ab Hesychio enotatus pro *χελώνην.* Sed *συμπαίστριες* Himer. XX. 6. 728. *Ἀπόλλωνι μὲν οὖν συγχορευταὶ (αἱ Νύμφαι) καὶ ξυμπαίστριες νῦν τε εἰσί καὶ ἀεὶ πάντως μελῳδοῦντι παρέπονται,* in *ξυμπαίστορες* mutandum est, neque satis fidei habeo Scholiastae Theocr. I. 92. Dores pro *μοῖραι* dixisse *μοῖρες,* quum praesertim finales syllabae *ες* et *αι* ubique confundantur; quanquam illius auctoritate permotus Reiskius Theocrito pro *ἀῖται* reddidit *ἀῖτες* XVI. 36. Vicissim pro *Γοργών* recentiores *Γοργόνη* substituerunt, quod Hermannus Euripidi tribuit Alc. 1123. Inter utramque declinationem fluctuat *μελεδώνη, μελεδῶναι* et *μελεδῶνας,* cujus si nominativus singularis, quem Grammatici afferunt, in usu fuit, non solum Schaeferi dubitatio ad Gnom. p. 215. *μελεδώνας* corrigentis, sed etiam omnis metaplasmi suspicio tollitur. Rarissimum vero est ut nomina

mina tertiae declinationis ad secundam aberrent. Pro *ἄσωτες* quidem, quod Schaeferus ad Greg. p. 444. Phrynicho vindicare conatur, Bekkerus id quod res poscit, *ἄσωτοι*, edidit Anecd. p. 24, 29. Cur Marcellus in Dedic. Regill. v. 33. *πρωτόθρονες ἕδραι* scribere maluerit quam *πρωτόθρονοι* minus apparet quam quare in Sibyll. L. V. p. 595. (p. 319.) *πολυήλατι χαλκῷ* scriptum sit. Sed plus auctoritatis habent quae a veteribus magistris in numero metaplastorum referuntur *ἐρίηρες* et *κλῶθες* sive *κατακλῶθες*, pro quo illi *κλωθοί*, ut *Σαπφοί*, dicendum fuisse arbitrantur Schol. Ambros. Od. H. 197. Eustath. p. 1576. 40. neque de vocabulo prorsus solitario quidquam contra dici licet. Sed hic propter externam similitudinem in mentem venit nomen *πλῶτες*, cujus singularis nescio an nusquam reperiatur, pluralis autem, sive natatiles significat sive quas Romani flutas vocant, secundam participat declinationem, *πλωτοὶ ἰχθύες* Eumelus Athen. VI. 277. D. ut *νηκτοὶ ἰχθύες* in Leonidae Tarent. Epigr. XXV. Huic dativus *ἀλλογνῶτι* adjici poterit, si Empedocles ita scripsit (v. Aglaopham. p. 828.) et Pindaricum *ἀρίγνωτες*, quod ob accentum, si recte scriptus est, inter metaplasta referatur necesse est [14]).

---

14) Quae cum *ἀγνώς* supra composui, omnia a verbis ducta sunt, quarum vocalis mobilis est *ἀβλής*, *ἀδμής*, *ἀκμὴς*, *ἀμφιτρής*, *εὐκράς*, *ἰθυτμής*, *ἡμιθνής*, *ἀπτὼς*, *ἡμιβρώς*, *φυλλοστρώς*. Apparet hinc a verbis *δράω*, *πνέω*, *χρίω* et similibus nullum ejusmodi adjectivum nasci posse. Praeterea notandum est nullum hujus terminationis reperiri nomen simplex praeter *πλώς* et *γνής* (quod ipsum incrementum accepit *ἰγνής*) et *βλής*, non illud, quod in Euphorionis parum opportune legitur, sed quod Etym. M. p. 358. 8. agnoscere videtur, quum *ἐπιβλής* negat recte gravari, quia simplex *βλής ἐπὶ ταύτης τῆς ἐννοίας οὐκ ἔστι*. *Σιδηροβρῶτις* ap. Schol. Ven. V. 385. ubi narrat Martem in insula Naxo sese abscondidisse *εἰς τὴν σιδηροβρῶτιν λεγομένην πέτραν*, a *σιδηροβρώτης* (ut *τειχεσιβλήτης*) potius quam a *σιδηροβρώς* repetendum est. Significatur hoc loco lapicidina *ἀκόνης Ναξίας* Pind. Isthm. VI. 108. quem *Naxium* vocant Latini.

Si vero quaeritur quid causae habuerint veteres, ut obliquis casibus quorundam nominum uterentur, quorum nominativum repudiarent, sine dubio plures fuerunt. Primum qui Mopsopiae conditorem, qui nunquam fuit, prodere vellent, Mopsopem vocarunt, nominativo abstinentes. Pindarus Liberum Patrem *διθύραμβα* dixit ad declarandum cognominis etymon *λῦθι ῥάμμα.* *Ερυσάρματες, ἀνδραπόδεσσι, πολυδένδρεσσι* Eur. Iph. T. 398. progenuit simplicis nominis memoria animo oborta. Plurimis ortum dedit terminatio nominativi utrique declinationi similis, qua delusus Alcaeus ab *Αἴας* accusativum *τὸν Αἴαν,* ab *ἀκαμαντοχάρμας* vocativum *ὦ ἀκαμαντοχάρμαν Αἶαν* protulit, *κατὰ συνεκδρομὴν τοῦ Αἶαν ἢ διὰ τὴν ἐπαλληλίαν τῶν φωνηέντων* Anecd. p. 1183. sq. *πλάνην κλίσεως* vocat Herodian. Etym. M. 44, 45. Sophocles a *λᾶς* declinavit *λάου,* idem et Aeschylus a *βοῦς τοῦ βοῦ* Anecd. p. 1196. et contra vulgariter scribentes a *νοῦς τοῦ νοός* etc. [15]) a *φλοῦς τὸν φλόα* Nic. Alex. 302. a *χλοῦς τὸν δονακόχλοα* Eur. Iph. 401. *τὸν ἔγχλοα* Nic. Ther. 676. 885. similiterque a *gener* Latini *generibus.* Lycophronem, ut *μηλάτων* usurparet, nescio an induxerit fallax similitudo nominativorum *γοῦνα, γονάτων, δοῦρα, δοράτων. Δούροις* Oppian. Hal. III. 573. *ὥτοις* Grammat. Hermanni p. 309. qui protulerunt, non solum nominativi formam secundae declinationis similem sed etiam accentum spectasse videntur. Ex eodem fonte manarunt dativi *παθημάτοις, peripetasmatis,* cujus causa Celsus nominativum peripetasmatum commentus est, et quae contrario motu a secundo ordine ad tertium aberrarunt: *πρόβασι, ἔγκασι, προς-*

---

15) Exemplis ad Phryn. p. 453. allatis adde *τῷ ῥοΐ* Hellanici ap. Schol. Ven. *Φ.* 242. *τοῦ πλοός* Martyr. Ignat. c. III. 296. ed. Gall. T. I. *οἱ εὔνους* Philemon. Fragm. CXXII. 430. *τοὺς ἄχνοας* Maneth. I. 127. quod perperam sollicitat Dorvillius p. 332. Notabilius est Hesychianum *κατὰ νᾶ, κατὰ νοῦν,* quod mendosum putatur.

ὤπασι[16]) qui transitus hoc facilior erat, quod numerus singularis, qui declinationem regeret, non occurrebat graece loquentibus. Si vero enumeratis tot tamque uberibus anomaliae fontibus plura restant vocabula, quae nulla ratione explicari possint, velut *ἀλίτροχα, πέταλσι*[17]) etc. modo poetarum arbitria caussari licebit, modo dialectorum incognitarum flexus, imprimisque Aeolicae, ad quam Grammatici pleraque metaplasis et anadromae exempla referre solent, *ἑκατόγχειρος, φύλακος* et *μάρτυρος* (Gregor.) *ἰῶκα, κρόκα* et *ἄλκα* (Schol. Ven. V. 299.) etc.

Verum his omissus postremam institutae quaestionis partem absolvam. Reliquum autem erat ut nomina primae declinationis in *ας* et *ης* nonnunquam aut femininis aut neutris apponi ostenderem, *ἠπύτα σῦριγξ* Quint. Cal. VI. 170. *γλῶσσαν μαψυλάκταν* Sappho Fragm. CIII. p. 98. quod facile ad regulam revocari posset, *κώπᾳ χιλιοναύτᾳ* Eur. Iph. T. 141. *τῆς πατροφόντου μητρός* Soph. Trach. 1152. *ἡ παιδολύμας Θεστιάς* Aesch. Choeph. 609. quae in Addend. p. 443. commemoravi. Pro *σὰς προφήτας* Eur. Bacch. 551. nunc rectius *σούς* scribi consentio, non quia *σὰς προφήτιδας* dicendum fuisset, quae Elmsleji opinio est, sed ob codicum auctoritatem. E poetis posterioris aetatis huc perti-

---

16) De hoc vid. Jacobs ad Anth Pal. p. 394. Herodianus Hermanni p. 408. *ἁμαρτάνουσιν οἱ λέγοντες τοῖς πρόβασιν, ὡς ἅρμασι, σφαλλόμενοι τῇ ὁμοιότητι* h. e. vi synecdromae, quá Eustathius p. 677, 21. etiam ut *ἄστρασι* diceretur, effectum putat. Joannes p. 11. Arcadius p. 138. Philemo §. 64. Theodosius p. 1007. *πρόβασι, ἔγκασι, ἄστρασι* conjuncte inter metaplasta referunt. Posterioris vocabuli accentus adeo inconstans est ut in uno Maximi carmine bis paroxytonon sit, v. 288. 476. quinquies proparoxytonon v. 18. 36. 136. 145. 262. quam notationem Grammaticos introduxisse tantummodo ut metaplastorum numerum augerent, vereor ne Buttmanno concedi non debeat Gramm. T. 184.

17) Fortasse ex Alcmanis Fragm. XXXV. 47. ubi *πετάλοισι* legitur, vel ex alius lyrici poetae versu.

nent, si modo certa sunt: *λαθροπόδας τρώκταις* (Cod. *τρόκτας*) *χερσὶ τίθησι τόκους* Antiphan. Anth. c. IX. 409. *πεδωριστᾷ πόλει* Theccrit. Epigr. IX. n. 600. quorum illud Brunckio debetur, hoc, quod interpretes nescio quo modo ad *μετεωριστής* referunt, Tyrwhitto; tum *ἀργέτα μήνη* Maxim. v. 305. et 587. quod paronymon est. Sed ab hoc genere excludi oportet, si qua per synesin diversa genera miscentur vel a subjecto praedicatum genere discrepat. Priscianus L. VI. c. l. 219. *inveniuntur*, inquit, *quaedam ex communibus etiam neutro generi conjuncta per ἀλλοιότητα, ut* advena mancipium. Sic *δήκτᾳ στόματι* Anthol. Plan. p. 266. *νηΐτῃ στρατεύματι* Memnon. Hist. XIII. p. 22. ed. Orell. *vinó alienigena* Gell. II. 24. quod Latini imprimis frequentant in nominibus extrinsecus acceptis, *vitis Cydonites*, *vinum myrtites*, (atque adeo *vinum myrtite*, terminatione neutrali) *absinthites*, aliisque gemmarum et herbarum vocabulis; *ἄρτοι μακωνίδες* Athen. III. 111. A. Et saepissime Graeci diversa praedicati et subjecti genera commiscent, ubi aliud dicunt aliud significant: *οἱ τοξόται τῶν τρώων τραυματίας ἐποιήσαντο τῶν Ἀχαιῶν τὰ κεφάλαια* Liban. Decl. T. IV. p. 94. vel: *τὰ παιδία μαθηταὶ γίνονται τῶν πραγμάτων* Philostrat. Imagg. I. 3. p. 767. quae ut nihil dubitationis habent ita persaepe ambigitur utrum substantiva in *ης* consulto ab auctoribus cum nominibus feminini generis connexa sint an vero librarii proclivi lapsu *ης* et *ην* scripserint pro *ις* et *ιν*. Apud Galenum Ther. ad Pison. L. I. c. 8. 940. F. T. XIII. *ἑλομένη μᾶλλον ἔτι βασίλισσα οὖσα ἐξ ἀνθρώπων γενέσθαι, ἤπερ ἰδιώτης Ῥωμαίοις φανῆναι*, nemo *ἰδιῶτις* requirat, neque *ἐπόπτις* in Schol. Ven. *Λ*. 807. *ἡ Θέμις ἐπόπτης τῶν ἐκκλησιῶν*, aut *προστάτιν* ap. Dion. Cass. XLII. 39. 328. *ταύτην ἐκεῖνοι βασιλίδα ἀποδείξαντες προθυμότερον τοῦ πολέμου, ὡς καὶ προστάτην τινὰ ἐκ τοῦ Πτολεμαίου γένους ἔχοντες, ἀντελάβοντο.* Cornut. N. D. XX. 187. *πόλεως καὶ οἴκου καὶ τοῦ βίου παντὸς προστάτην ποιητέον τὴν φρόνησιν.* Lucian. Bis Accus. §. 29. p. 90. T. VII. ubi diva Rhetorica loquens inducitur: *μονὴν ἐμὲ θαυμάζουσι καὶ ἐπιγράφονται προστάτην*

ἑαυτῶν, quibus addi debet quod Hermannus Oed. Col. 459. ex obscuris codicum vestigiis sagaciter eruit: σὺν προστάταις — θεαῖς. Sed Appianus Civ. I. 1. ὁ δῆμος — ἀρχὴν ἑαυτοῦ προστάτην ἀπέφηνε, praeferendum videtur προστάτιν, quod duo codd. exhibent; neque aliter Proculus in Polit. p. 353. ἡ μὲν γενέσεώς ἐστι προστάτης καὶ λοχευτική, et p. 378. τῆς δίκης προστάτης ἡ θεός. Hierocles Stob. Serm. LXVII. 24. 415. οἵα μέν ἐστι (ἡ γυνή) κηδεμὼν οἰκετῶν οἵα δὲ ἐν νούσοις παραστάτις, nunc editum e codd. pro masculino. Eandem medicinam Iacobsius ad Anth. Pal. p. 37. et 327. multis aliis locis adhibuit, quorum unus et alter fortasse curatione non eget; plures intactos reliquit, quorum emendatio partim in promtu posita, partim ambigua est propter scribentium arbitria. Pro ἀγρῶστα Λύκας in Simonidis Epigr. LIX. merito probatur Schneideri correctio ἀγρῶστι; in Longi Past. III. p. 91. πάντων τῶν λεγομένων μιμητὴν φωνήν Schaeferus Nott. p. 382. in μιμηλήν mutat, sed sententiam retractare videtur ad Soph. 1127. Similiter ap. Athen. XIII. 601. B. παιδεραστάν τινες καλοῦσι τὴν τραγῳδίαν Schweighaueserus proponit facilem sed fortasse non necessariam emendationem παιδεράστριαν. Vulgatam firmat Philostratus Vitt. Soph. I. 25. 530. ἐρασταὶ μὲν αὐτοῦ πολλαὶ πόλεις etc. Sed in Simon. Epigr. LVII. Βοίδιον ηὐλητρὶς καὶ Πυθιὰς αἵ ποτ' ἐρασταί — pro quo Brunckius ἑταῖραι, Welckerus ad Theogn. p. 105. φιλέρασται scribebat, non substantivum est sed adjectivum, quo Lucianus Philops. XV. p. 43. T. VII. puellam amori proclivem designat ἐραστὴν γυναῖκα καὶ πρόχειρον, neque mihi exploratum est num Corais in Heliod. VII. 10. 271. pro ἐραστὸν ἅμα καὶ γοργὸν προσβλέπων recte substituerit ἐπέραστον. Demetrio Phal. de Eloc. §. 269. p. 105. ἰστέον τὴν διάλυσιν δεινότητος ἐργάτην reddendum esse femininum, facile obtinebitur, sed ἐργατίναις παλάμαις in loco minime expedito Epigramm. Append. N. 323. scrupulum affert; adjectivum ἐργαστῖνος legitur ap. Grammaticum Herm. p. 424. notaeque sunt Ergastinae Atticae. Rursus σίνταο φάλαγγος Nicand. Ther. 715. nullam dubitationem habet, sed

ἡ ληστής ***haec latro*** perinde bene dici atque *ἡ ἄνθρωπος* vix credam Prisciano L. V. 2. p. 171. In Soph. Oed. T. 190. *ὦ χρυσέα θύγατερ Διὸς εὐῶπα, πέμψον ἀλκάν*, viri docti qui mutata interpunctione *εὐῶπα ἀλκάν* conjunxerunt, e duobus incommodis fortasse elegerunt minus; nam *εὐώψ ἀλκή* plus quam tragicae audaciae videtur; sed qui meminerit eandem deam a Callimacho invocari *Οὖπι ἄνασσ' εὐῶπι*, hic quoque *εὐῶπι* scribendum esse putabit. *Εὔωπις* Aelian. H. An. VIII. 12. ubi masculinum requiritur, in *εὔωπος* mutandum esse accentus significat, sed *πλωτοὶ χρυσώπιδες ἰχθύες ἐλλοί* in Titano machia Athen. VII. 277. D. quod Eustathius p. 1389. 9. ad exemplum feminini *αἱ γλαυκώπιδες* inclinatum dicit, eximi haud poterit. Postremo Soph. El. 857. *ἐλπίδων κοινοτόκων εὐπατριδῶν τ' ἀρωγαί*, ferri potest masculinum quia Orestes significatur, quanquam facilis est correctio.

Superest ut nomina civium academicorum promulgemus qui quaestiones literarias superiore anno propositas laudabili successu tractarunt.

FACULTAS THEOLOGORUM
praemium adjudicavit primarium *Julio Ottoni Steinwender;* secundarium, quod accedentibus tribuitur, *Eduardo Grawert.*

FACULTAS JURIS CONSULTORUM
dissertationem a *G. Gustavo Gericke* elaboratam praemio ornavit.

FACULTAS MEDICORUM
ejusdem praemii honorem tribuit *Raphaeli Tietzer.*

FACULTAS PHILOSOPHORUM
quum duas proposuisset quaestiones, unam mathematicam, alteram philologicam, tres accepit libellos pari laude dignos; illam prospere expediverunt *Julius Richelot* et *Alexander Fischer*, hanc *Fridericus Zander*, qui omnes praemium e certamine summum retulerunt.

Quaestiones novae
In hunc annum propositae.

FACULTAS THEOLOGORUM
poscit interpretationem prooemii evangelii Johannis (I. 1—18.) cum accurata dogmatis *τοῦ λόγου* historia.

FACULTAS JURIS CONSULTORUM

quaestionem proponit de juris jurandi promissorii vi secundum jus commune et borussicum.

FACULTAS MEDICORUM.

inquiri jubet in naturam calli in ossibus fractis, recensitis veterum et recentiorum medicorum experimentis physiologico-pathologicis circa hanc rem institutis.

FACULTAS PHILOSOPHORUM

historiarum studiosis proponit inquisitionem de vita, fontibus, fide, ingenio et consilio praecipuorum Borussiae Chronistarum

Naturae curiosis commendat stirpium Borussiae phanerogamarum cum stirpibus Germaniae praesertim septentrionalis comparationem geographico-botanicam.